

SESSION 2015

AGRÉGATION CONCOURS EXTERNE

Section : GRAMMAIRE

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Les dictionnaires latin-français Bornecque, Gaffiot, Goelzer et Quicherat sont autorisés.

L'usage de tout ouvrage de référence, de tout autre dictionnaire et de tout matériel électronique (y compris la calculatrice) est rigoureusement interdit.

Dans le cas où un(e) candidat(e) repère ce qui lui semble être une erreur d'énoncé, il (elle) le signale très lisiblement sur sa copie, propose la correction et poursuit l'épreuve en conséquence.

De même, si cela vous conduit à formuler une ou plusieurs hypothèses, il vous est demandé de la (ou les) mentionner explicitement.

NB : *La copie que vous rendrez ne devra, conformément au principe d'anonymat, comporter aucun signe distinctif, tel que nom, signature, origine, etc. Si le travail qui vous est demandé comporte notamment la rédaction d'un projet ou d'une note, vous devrez impérativement vous abstenir de signer ou de l'identifier.*

Tournez la page S.V.P.

Version latine

Le jeune roi de Numidie Adherbal, petit-fils de Massinissa, réclame l'aide des Romains contre les menées criminelles de son frère adoptif, Jugurtha.

« Postremo Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus nisi populum Romanum, ne societates, ne foedera noua acciperemus; abunde magna praesidia nobis in uostra amicitia fore; si huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac dis uolentibus magni estis et opulenti; omnia secunda
5 et oboedientia sunt: quo facilius sociorum iniurias curare licet.

Tantum illud uereor, ne quos priuata amicitia Iugurthae parum cognita transuersos agat. Quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare uos singulos ne quid de absente incognita causa statuatis; fingere me uerba et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cuius inpio facinore in has miserias proiectus sum, eadem
10 haec simulantem uideam, et aliquando aut apud uos aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur: ne ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatu inpietatis in parentem nostrum, fratris mei necis mearumque miseriarum grauis poenas reddat. Iam iam, frater animo meo carissime, quanquam tibi inmaturo et unde minime decuit uita erepta est, tamen laetandum magis quam
15 dolendum puto casum tuum. Non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem et omnis has quae me premunt aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, incertus quid agam, tuasne iniurias persequar ipse auxili egens, an regno consulam, cuius uitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Utinam emori fortunis meis honestus exitus
20 esset, neu iure contemptus uiderer, si defessus malis iniuriae concessissem! Nunc neque uiuere lubet neque mori licet sine dedecore.

Patres conscripti, per uos, per liberos atque parentes uostros, per maiestatem populi Romani, subuenite mihi misero, ite obuiam iniuriae, nolite pati regnum Numidiae, quod uostrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere. »

Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae, largitione magis quam causa freti, paucis respondent: Hiempsalem ob saeuitiam suam ab Numidis interfectum, Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri quod iniuriam facere nequiuisset; Iugurtham ab senatu petere ne se alium putarent ac Numantiae cognitus esset, neu uerba inimici ante facta sua ponerent. Deinde utrique curia
25 egrediuntur. Senatus statim consulitur. Fautores legatorum, praeterea senatus magna pars, gratia deprauata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae uirtutem extollere laudibus; gratia, uoce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio sua quasi pro gloria nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequom diuitiis carius erat, subueniendum Adherbali et Hiempsalis mortem seuerè uindicandam censebant.
30

Salluste, *La guerre de Jugurtha*